

Proœmium.

1 **D.** Justinianus Imperator post editum anno à reparatâ per nunquam temeratam Virginem Deiparam salute humanâ 529. Codicem, Justinianicum appellatum; atque ex tribus Codicibus antiquis Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano collectum; curam suam extendit ad immensa veteris Jurisprudentiæ volumina, & opus desperatum caelesti favore adimplevit §. 2. in Proœmio Inst. Quando anno 533. Pandectarum, seu Digestorum quinquaginta libros absolvit.

2 Postmodum Institutiones nostras ex Pandectis & prioris codicis fragmentis, nec non multorum veterum commentariis concinnavit, quas quidem prius ac Pandectas edidit, anno nim. 533. 21. 9bris, at tamen illas citius in foro robur obtinere noluit, quàm ex quo die & hæ valerent, scilicet 30. Xbris anni 533. Constit. *Tanta* §. 23. *de conf. Digest.* Inquies; quomodo Institutiones modò 21. 9bris anni 533. promulgatæ seriùs obligaverint? Resp. Quia Leges, sine temporis à quo expressione latæ, demum post duos menses obligare incipiunt. *Nov. 66. cap. 1.*

Deinde Justinianus Imp. anno 534. 16. 9bris Codicem suum *repetita prælectionis* ex codice Justiniano & ex Juribus post eum promulgatis desumptum promulgavit, eidemque 28. Xbris dicti anni 534. auctoritatem Juris est elargitus. Constit. *Cordi nobis de emend. Cod.* §. 4. & *fin.*

Denique novellæ sunt diverso tempore post Codicem *repetitæ prælectionis* editæ. d. Constit. *Cordi* §. 4.

Dubium nunc est; Datâ inter hæc Jura contrarietate, quodnam alteri prævaleat, sive deroget? circa quod sequentes dantur regulæ:

Regula Ima: Novellæ, utpote 6 te continentibus Jus Justinianicum novissimum, derogant & Codici & Pandectis & Institutionibus, imo juxta temporis pri-aut posterioritatem sibi invicem; v. g. *Nov. 118. cap. 3.* abrogatur per *Nov. 127. cap. 1.*

Regula 2. Codex *repetitæ prælectionis* non tantum quoad 7 quinquaginta Decisiones, sed etiam quoad alias leges derogat Digestis & Institutionibus, quia cum leges Codicis non considerentur ut latæ ante Digesta, sed

ut